

Thomas Aquinas parte 1. summa quest. 19. art. 11. exponitque in corp. art. ita: *Voluntas proprie de Deo dicitur. Et ideo in Deo distinguitur voluntas proprie, & metaphoricè dicta. Voluntas enim proprie dicta, vocatur voluntas beneplaciti. Voluntas autem metaphoricè dicta est voluntas signi, eo quod ipsum signum voluntas dicitur. Vid. idem Thomas in sentent. distinct. XLV. quest. IV. Col. 2. p. 140. Magister Durandus de Sancto Portiano l. 7. dist. XLVI. quest. III. fol. CXXXII. ita describit: Voluntas, inquit, beneplaciti est voluntas proprie dicta: vel actus suus volendi, quo aliquid sibi placet: sed voluntas signi dicitur metaphoricè voluntas DEI: eo modo, quo signum nominatur metaphoricè nomine rei, cuius est signum: ut imago Herculis, vocatur Hercules. Gregorius de Valentia Tom. 1. disp. 1. gener. quest. 19. Punct. 2. col. 400. ita explicat: Voluntas beneplaciti, ait, appellatur ipsa inclinatio seu propensio DEI in objectum à se cognitum, que inclinatio proprie divina voluntas nominatur, ut patet ex ratione vocabuli. Voluntas autem signi vocatur id, quod solet esse apud nos signum voluntatis erga aliquid, quod idcirco ex ratione quidem sua solet esse, aut certe potest esse, signum voluntatis etiam divine. Quamobrem hæc divisio divine voluntatis, non est univoci in univocata, sed analogi in analogata. Nam de signo divine voluntatis non dicitur voluntatis nomen nisi metaphoricè, & analogicè &c. Denique Guilielmus Estius Tomo 1. Comment. in IV. libr. sent. libr. I. dist. XIV. §. 7. p. 219. hoc modo declarat: Dicitur, inquit, voluntas beneplaciti in Deo, qua vult aliquid proprie loquendo &c. Voluntas autem signi dicitur temporarium aliquod signum voluntatis, id est, res aliqua vel actio, que voluntatis signum esse solet. Hæc illi.*

§. 3. Ex quibus patet, Scholasticos voluntatem beneplaciti vocare internum aliquem actum, sive consilium Dei; voluntatem signi verò verbum aut actum aliquem temporarium, quo interiore æternum actum seu consilium hominibus manifestat. Hanc signi voluntatem faciunt quintuplicem, & recensetur à Gregorio de Val. *Dato loco*, & Francisco Svarezio super primam Thomæ l. 3. de attrib. div. c. 8. p. 148. (1.) Præceptum. (2.) Prohibitio. (3.) Consilium. (4.) Permissio.

Permissio